



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Septima Conclusio. Cogitationes hominis pendentes à voluntatis nostræ libertate, si solo intellectus & voluntatis termino contineantur, Dæmones non cognoscunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

nostro, S. Antonio, Hilarione, & multis alijs. Ergo non præcognoscit futura ad vtrumlibet.

Sexta Conclusio. *Dæmones sæpè de actibus humanis coniecturaliter vera prænunciant.*

RATIO: Quoniam Dæmones passiones appetitus sensitiui, ac inclinationes corporales cognoscunt, & cùm plures sint, qui appetitum & carnalia desideria sequuntur, quàm qui illis resistunt, sæpè de actibus humanis vera conijciunt. Qualis enim quisq; est, talem sibi finem præscribit. Ex externis etiam signis & operibus qualis interior homo sit, non est difficile iudicare, iuxta illud Euangelij. A fructibus eorum cognoscetis eos.

Septima Conclusio. *Cogitationes hominis pendentes à voluntatis nostræ libertate, si solo intellectus & voluntatis termino contineantur, Dæmones non cognoscunt.*

PROBATVR. Quia hoc diuinæ maiestatis proprium est. Ieremiæ 17. Præuū est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. I. Paralip. cap. 28. Omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogita-

cogitationes intelligit. 3. Reg. 8. Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum. Psalm. 43. Nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis. Job. 42. Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Matth. 9. Cùm uideret Iesus cogitationes eorum. Act. 1. Tu Domine, qui corda nosti omnium. Roman. 8. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus. Hebr. 4. Discretor est cogitationum & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, &c. Eandem ueritatem docent sancti Patres. Hieron. super dicta uerba Matth. 9. Ambros. super cap. 2. 1. Cor. & lib. 1. de officijs. cap. 14. S. August. de diuinatione Dæmonum cap. 5. & lib. 2. Retract. cap. 30. Chrysoft. hom. 23. super Ioan. super illa uerba. Ipse enim sciebat, quid esset in homine. S. Thomas 1. part. q. 57. art. 4. S. Bonauent. in 2. d. 7. part. 2. art. 1. q. 3. & alij alibi. Hinc deducitur: quod nullus etiam Magus, aut diuinator potest cognoscere secretas hominis cogitationes.

Octaua Conclusio. Cogitationes hominis & affectiones cordis indirecte & coniecturali cognitione Dæmones quandoque possunt cognoscere.

PATET: Homo ex effectibus exterioribus sic interiores actus potest cognoscere, iuxta il-